De invectivis,

quae

Sallustii et Ciceronis

nominibus feruntur,

disseruit

Dr. Gerson Peiser.

Beilage zum Jahresbericht des Königlichen Berger-Gymnasiums
und der Berger-Oberrealschule zu Posen.

1903. Programm No. 195.

Bibliothek des Städt. Gymnasiums * Düsseldorf *

Posen 1903.
Merzbach'sche Buchdruckerei.

195.6

9po
4
(1903)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De invectivis, quae Sallustii et Ciceronis nominibus feruntur.

In permultis mediae aetatis codicibus duae oratiunculae inveniuntur, quae Sallustii et Ciceronis dicuntur esse. In priore a Sallustio in Ciceronem acerbissima convicia ingeruntur, respondet Cicero in posteriore crimina haud minus gravia in adversarium conferens. Quas invectivas ut subditicias rejecit primus Sebastianus Corradus in libro, quem ‚Egnatius sive ‚Quaestura' inscripsit (Venetiis 1537, cum praefatione Io. Aug. Ernesti Lips. 1754 p. 85 ss.). Inesse enim in oratiunculis ineptias contendit nec Sallustio nec Cicerone dignas atque dicendi genus ita esse simile, ut nemo non possit eas ab eodem factas judicare.

Corradi sententiam secuti sunt omnes, qui post eum orationes illas adversarias ediderunt, in primis Gruterus (Francof. 1607), Wassius (Cantabrig. 1710), Cortius (Lips. 1724), Havercampus (Amstelodami 1742), Gerlachius (Basileae 1852), Baiter (editionis oper. Cic. Orellianae II, 2), Jordanus (Berol. 1876 et 1881), C. F. W. Mueller (editionis op. Cic. IV, 3 Lips. 1879); idemque censuerunt, qui de indole illorum libellorum scripserunt, Herzogius (Observatt. part. VIII Gerae 1836), Jordanus (Herm. t. XI p. 305 ss.), Vogelius in actis semin. philol. (Erlang. t. I p. 325 ss.).

Quamquam autem hodie inter omnes constat, utramque invectivam a rhetore quodam esse conscriptam, tamen non pauca accuratiore quaestione egere videntur.

Si vero quaerimus, quis sit auctor et quae origo invectivarum, res ipsa postulat, ut primum testimonia veterum examinemus, tum ipsas invectivas inquiramus.

Invectivas cum ab aliis posterioris aetatis scriptoribus tum a Quintiliano commemorari, jam diu viri docti viderunt. Leguntur apud Quintilianum Inst. orat. IV, 1, 68, quo loco quaeritur, utrum in prooemio figura ἀποστροφή adhibenda sit necne, haec: ‚Quid? non Sallustius directo ad Ciceronem, in quem ipsum dicebat, usus est principio et quidem protinus? „graviter et iniquo animo maledicta tua paterer, M. Tulli" = Invect. in Cic. I, 1; et Inst. IX, 3,89: ‚Etiam in personae fictione accidere quidam idem putaverunt, ut in verbis esset haec figura: ‚Crudelitatis mater est avaritia et apud Sallustium in Ciceronem: o Romule Arpinas.' = in Cic. IV, 7.

Cujus testimonii auctoritatem saepe viri docti infirmare studuerunt, rati Quintilianum in tantum errorem incidere non potuisse, ut Sallustio assignaret, quae imitatoris essent. Gessner censuit teste Spaldingio (ad Quint. IV, 1,69), declamatorem haec verba ex genuina Sallustii oratione sumpta et a Quintiliano servata suis commentis inseruisse, ut majorem auctoritatem iis adstrueret. Quis autem falsario tantam astutiam et calliditatem tribuat?

Multi contra Cortii sententiam secuti sunt, qui eo, quod in nonnullis codicibus illa ex libro nono laudata (apud Sallustium-Arpinas) omissa sunt, hunc locum interpolatum esse

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

putavit idemque de loco libri quarti, quem omnes libri defendunt, contendit. At, quae Cortius proposuit, ab Halmio refutata sunt. Probat enim in actis acad. Monac. anni 1866 p. 514, non deesse illa verba in optimis Quintiliani libris eisque, qui illa omiserunt, fidem non esse habendam.

Quare jam dubium esse non potest, quin Quintilianus priorem invectivam pro genuina habuerit. Alium quoque locum, etsi Sallustii nomen non inducitur, ex hac ipsa invectiva a Quintiliano depromptum esse, docuit Jordanus. Inst. orat. XI, 1, 24, ubi jactantia Ciceronis arguitur, haec inveniuntur: ‚In carminibus utinam pepercisset, quae non desierunt carpere maligni: „Cedant arma togae, concedat laurea linguae“ et „o fortunatam natam me consule Romam“ et Jovem illum, a quo in concilium deorum advocatur, et Minervam, quae artes eum edocuit — quae sibi ille secutus quaedam Graecorum exempla permiserat: Utrumque versum ex carmine, quod de consulatu suo conscripsit Cicero, petitum esse, affirmat Spaldingius. Quod tertium posuit Quintilianus (Jovem et Minervam) numeris solutis ex eodem carmine decerptum esse; miratur tamen, cur Quintilianus metra destruxerit. Non miratus esset, si contulisset verba Quintiliani cum inv. in Cic. IV, 7, ubi eadem fere verba reperiuntur: ‚Quid ego plura de tua insolentia commemorem? quem Minerva omnis artis edocuit, Juppiter optumus maxumus in concilio deorum admisit‘. Ne versus quidem ex ipso carmine Ciceronis sed ex invectiva sumpti sunt. Ibi invenies versum ‚O fortunatam etc.‘ III, 5, versum ‚Cedant arma togae, concedat laurea linguae‘ III, 6. Constat ex Pisoniana XXX § 74 et de off. I, c. 22 § 77, Ciceronem scripsisse: concedat laurea laudi. Apud Quintilianum autem vox ‚laudi‘ pariter atque in invectiva in ‚linguae“ immutata est.

Post Quintilianum Donatum priorem invectivam Sallustio tribuisse, etsi vulgo creditur, equidem pro certo affirmare non possum. Nituntur, qui hoc contendunt, verbis Servii ad Aen. VI, 623: ‚Hic thalamum invasit natae] Thyestes, unde Aegisthus natus est, item Cinyras: nam quod Donatus dicit, nefas est credi dictum esse de Tullio. Quod convicium a Sallustio Ciceronis inimico natum est, qui de illo inquit: ‚filia matris pellex‘ — inv. in Cic. II, 2. Sed verba: ‚quod convicium — pellex‘ solus praebet liber Dresdensis saec. XV in Italia exaratus, desunt in omnibus vetustioribus libris. Et docuit Thilo in Museo Rhenano t. XIV p. 458 ss., ea, quae solus Dresdensis praebeat, non esse Serviana, sed addita a doctis Italis saec. XV. Quare, qui nuper Servium ediderunt, omnia codicis D additamenta e contextu verborum inter librorum testimonia ablegarunt.

Nec est, cur mireris, potuisse addi verba: ‚quod convicium a Sallustio etc.‘ Invectivas enim medio aevo lectitatas esse, permultis quae extant exemplaribus comprobatur.

Ne id quidem pro certo habeo, recte judicasse Italum illum verba Donati ad Sallustii, ut inscribitur, invectivam referentem. Ejusdem enim criminis Cicero etiam a Cassio Dione (XLVI, 18) arguitur idemque a multis aliis calumniatoribus in Ciceronem confictum esse, verisimile est.

Haec sunt, quae proferuntur testimonia prioris invectivae. Posterioris apud Diomedem solum libro primo artis grammaticae (ed. Keil. p. 387) mentio fit s. v. comedor. ‚de cujus perfecto ambigitur apud veteres, comestus an comesus et comesurus. sed Didius ait de Sallustio ‚comesto patrimonio‘, Valgius (uulgius exhibent codices) autem de translatione ‚comesa patina: Verba ‚comesto patrimonio‘ ad inv. in Sall. VII, 20: ‚patrimonio non

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

comesto sed devorato' spectare manifestum est. Sed quis ille obscurus Didius? ‚Didymi' nomen restitui iusserunt primi editores. Qua conjectura mendum sanatum non esse apparet, cum et illud ‚sed' a sensu abhorreat neque unquam memoriae tradidum sit, Didymum de Sallustio scripsisse. Quare ‚Epidius' conjecit G. Linker in Sallustii historiarum prooemio p. 90. Quae Suetonius de Epidio rhetore affert (gramm 28. = rhet. 4), eum calumnia notatum ludum dicendi aperuisse, non male ad auctorem invectivae videntur quadrare.

Sed obstat huic conjecturae, ni fallor, quod fere aequalis Ciceronis fuisse videtur Epidius, qui teste Suetonio (l. l.) docuit Antonium et Augustum.

Quis censeat, vivi Ciceronis nomine aut paulo ante mortui abusum esse Epidium? Et recte monuit Jordanus p. 312, non fuisse veterum grammaticorum in commemorandis libris spuriis nomine ipsius falsarii, etiamsi novissent, uti nullo verbo adjecto.

Neque vero est verisimile, quarto saeculo p. Chr. n. nomen ejus, qui posteriorem invectivam composuit, Diomedi innotuisse, cum Quintilianus priorem pro genuina habuerit. Quare mihi quidem dubium non est, quin Diomedes posteriorem invectivam Tullio, cujus dicitur esse, attribuerit aeque ac priorem Sallustio Quintilianus. Assentior igitur Jordano locum ita emendanti: De cujus perfecto ambigitur apud veteres, comestus an comesus et comesurus sit. Tullius ait de Sallustio ‚comesto patrimonio'. (In editione Jordani invenies emendationem sit. et Tullius. Sed illud ‚et' errore editoris irrepsisse, evincitur ex ipsius Jordani commentatione (Herm. p. 312), ubi ‚et' deest.)

Ergo Quintilianus alteram invectivam pro genuina habuit idemque de altera Diomedem judicasse verisimile est. Videamus jam, num ipsarum invectivarum genere dicendi de auctore aliquid enucleari possit.

Priorem invectivam Sallustianam orationem redolere vix quisquam infitiabitur, et nonnulla cum locis vere Sallustianis ita congruunt, ut dubitari possit, utrum verba Sallustii sint an imitatoris.

cfr. inv. in Cic.		Sallustius	
1,1	iniquo animo paterer	Jug. 31,21	aequo animo paterer.
„	neque modum neque modestiam	Cat. 11,4	neque modum neque modestiam = 38,4.
„	fortunas suas venales habere	Cat. 10,4	omnia venalia habere.
1,2	(nihil flagitiosum putare), quod alicui collibuisset	Cat. 51,9	(pati) quae victoribus collibuissent.
3,6	atque parum, quod impune fecisti	Jug. 31,22	parum est impune male fecisse; et ibidem § 9 talia facinora impune suscepisse parum habuere.

Ut in altera invectiva nonnulla Sallustiana ita in altera non pauca Ciceroniana invenies.

Inv. Cic.		Cicero.	
1,1	mihi dicendi onus imponitur	in Vat. § 33	onus mihi imponam testimonii.
1,3	lutulentus volutari	Verr. IV, 53	in luto volutatum.
1,3	sordes eluere =	Phil. I, 20.	
2,5	offundere tenebras =	dom. § 137.	
„	venire in oblivionem =	Verr. IV, 79.	
2,6	bellum extinguere =	Sest. 51.	

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Inv. Cic.	Cicero.
2,6 bellum intestinum ac domesticum incendium	Cat. II, 28 bellum intestinum ac domesticum.
3,10 perbacchari =	Phil. II, 104.
4,11 leges timere =	dom. 71.
4,12 temeritatem reprehendere =	dom. 88.
5,13 cupiditates infinitae =	Verr. II, 184.
6,16 maculas eluere	Verr. V, 121.
6,18 magna pignora alicui dare	Phil. I, 4 magnum pignus alicui dare.
7,20 patrimonium comedere =	Sest. 111.
7,20 patrimonium devorare =	Phil. II, 67.
8,22 petulantissime consectari =	Sest. 110 petulantissime insectari.

At non desunt in utraque invectiva, quae nec Sallustio nec Cicerone digna sint. Omitto illud ‚domo' (in C. 3,15: judicia domo faciebatis) pro domi, quod haud scio an librarius archetypi peccaverit, sed particula ‚absque' (in Cic. 2,3) apud Sallustium nunquam obviam fit. Etiam ‚calumniae proximus' (in Cic. 2,3) Sallustius non dixisset et ‚in concilio deorum admisit' (in Cic. 4,7) non modo a Sallustiano genere dicendi sed etiam a sincero latine loquendi usu abhorret.

Atque in invectiva, quae Ciceronis esse dicitur, vide 1,1. Ea demum magna voluptas est, C. Sallusti, aequalem ac parem verbis vitam agere (deest subjectum ‚te'), ib.: initium introducere, 1,2: praeterire pro ‚praecedere, superare', 2,6: una cum illis adnumerare; ‚palam' cum ablativo conjunctum (3,7; 6,16; 7,19), culpare (3,7; 4,12; 5,12); 3,9: habere dignus sum; 5,15: timens, ne facinora ejus (pro ‚sua' vel ‚ipsius') clam vos essent.

Quis haec omnia Sallustio vel Ciceroni tribuat aut emendando tollat?

Accedit, quod in invectiva, quae Ciceronis nomine fertur, nonnullis locis non Ciceronianum sed Sallustianum genus dicendi invenitur.

cfr. Inv. Ciceronis.	Sallustius.
1,1 invidia gloriam consequetur	Jug. 55,3 post gloriam invidiam sequi.
2,6 par ac similis (8,20 similis ac par)	Cat. 14,4 par similisque et saepius.
5,16 quo omnis sentina rei publicae confluxerat	Cat. 37,5 omnes in sentinam confluxerant.
5,17 nihil non venale, cujus aliquis emptor fuerit	Jug. 35,10 urbem venalem, si emptorem invenerit.
6,18 quidquid parricidarum sacrilegorum	Cat. 14,3 omnes parricidae, sacrilegi.

Quae cum ita sint, suspicio oritur, utramque invectivam ab uno eodemque esse compositam, cujus studia Sallustiana apte in priore, inepte in posteriore eluceant.

Comprobatur haec sententia ipsis invectivis inter se collatis. Occurit enim mira quaedam similitudo cum verborum et locutionum tum totarum sententiarum ad verbum semel iterumque repetitarum. Exempla sunt haec:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

	Inv. in Cic.		Inv. in Sall.
1,1	petulantia	3,9	petulanter.
4,7	petulantissimis verbis	5,13	petulans; 8,22 petulantissime.
1,1	morbo animi petulantia ista uti	8,22	morbo procacitatis ista uti.
1,1	venale habere =	5,14; 6,17.	
1,2	quod alicui collibuisset	5,13	quae alteri facere collibuissent; 6,17 quod ipsi facere collibuisset.
1,2	itaque minime mirandum est, quod	3,8	sed minime mirum est, si. 4,11 neque hercle mirum est, si. ibid. itaque non est mirum, si.
2,2	verum, ut opinor	8,21	verum, ut opinor.
2,3	sed, ut opinor		
3,4	verum, ut opinor		
2,2	splendor domesticus tibi animos tollit	8,20	at hercle egregia facta majorum tuorum te extollunt.
2,3	illa te magis extollunt		
2,2	filia matris pellex	8,21	sed tu omnium cubiculorum pellex.
2,3	quasi vero non fuerit	2,4	quasi vero tu sis.
3,6	quasi vero non confeceris		

	Inv. in Cic.		Inv. in Sall.
2,4	quae si tibi falsa obicio, redde rationem,... qua ex pecunia domum paraveris	2,19	quod si quippiam eorum falsum est, his palam refelle, unde.. possessiones paraveris.
2,4	cui dubium protest esse	5,14	cuiquam dubium potest esse.
3,5	homo levissimus	3,7	homo levissime.
„	levissimus senator		
4,7	levissime transfuga		
3,5	gula immensa	5,13	immensae gulae..
3,5	quae honeste nominari non possunt	8,22	si qua ego honeste effari possum.
3,6	atque parum, quod impune fecisti, verum etiam commemorando exprobras	6,15	noli nobis languorem et soporem nimium exprobrare.
3,6	egeris, oro te, Cicero, perfeceris, quid libet: satis est...	6,15	vixeris, ut libet, Sallusti, egeris, quae volueris, satis sit...
4,7	sed quid ego plura de tua insolentia commemorem?	3,8	sed quid ego de te plura querar?
4,7	ancillaris	4,11	ancillatus sum.

Nonnullorum quidem, quae adnotavi, similitudo ita explicari potest, ut statuamus, scriptorem posterioris invectivae hominem fuisse ingenii angusti atque pusilli, qui, cum crimina in Ciceronem ingesta refellere et in Sallustium rejicere studuerit, verba ipsa prioris invectivae nimis anxie repetierit (exempli gratia: ancillari, pellex). Sed plura restant similia, quae intellegi non possunt, nisi unus idemque has invectivas composuit, qui inopia verborum atque sententiarum adductus ipse se transscripsit.

Quae inopia quanta fuerit, non solum verbis in utraque invectiva repetitis demonstratur, sed etiam eo colligi potest, quod vel in eadem invectiva iidem flosculi semel iterumque redeunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nonnulla exempla inter locos supra allatos reperies, adde: in Cic. immo vero (3,5 bis) perpeti (3,5 et 3,6); oro te (3,6 et 4,7); parare eloquentiam (1,2) ... domum (2,4) ... opulentiam (ib.); atque cum haec ita sint, tamen Cicero dicit — (2,3) et in Cic. 3,5 atque is cum ejusmodi sit, tamen audet dicere. In inv. in Sall. invenitur procacitas (ter 1,1; 1,3; 8,12) procax (5,13) dabo operam (1,2; 1,3) ut vitium objicere (3,8; 4,12) rudimentum (1,2; 3,8) culpare ter (3,7; 4,12; 5,12) hercle (ter 4,11; 5,14; 8,20) et cfr. in S. 5,14: ‚neque pudet eum a me quaerere, quis in P. Crassi domo habitet' cum 7, 20: ‚neque piguit quaerere, cur ego P. Crassi domum emissem' et 5, 15: ‚confessus est vobis audientibus adulterium' cum 6, 16: . . ‚quem non puduerit, palam vobis audientibus adulterium confiteri'.

Si haec recte disputavi, unus idemque has oratiunculas conscripsit et illa Sallustiana vel Ciceroniana suis inseruit, ut cognosceretur quaedam sermonis affinitas.

Quaeritur, quo modo ille, quisquis erat, impelli potuerit, ut adversarias Sallustii et Ciceronis orationes elaboraret.

Moris fuisse rhetoribus, claris viris supponere declamationes, nemo est qui ignoret. Et in primis in Cicerone accusando et defendendo eos occupatos fuisse, exemplis docemur, quae Seneca suasoriarum libro proposuit (ed. Muelleri Vindob. 1887 p. 558—583). Servavit tales declamationes, quae Ciceronis et Fufii Caleni, Antonii amici, dicuntur esse, Cassius Dio (XLV, 18—XLVI, 28).

Quomodo autem fit, ut ipse Sallustius Ciceronis adversarius producatur!

Fortasse dixerit quisquam, finxisse rhetorem inimicitias Sallustii et Ciceronis, quod ille in libro, quem de conjuratione Catilinaria scripsit, nimis parce Ciceronem laudibus extulerit. At id rhetorem ne offendisse quidem videtur, qui Ciceronem dicentem facit: ‚quae historiis gloriae mihi ducis' (in S. 3,7). Recte autem monet Jordanus (Herm. p. 329) verbum ‚historiis' non spectare ad librum, quem ipse Sallustio inscripsit ‚historiae', sed idem esse ac scripta historica huic ipsi orationi opposita, ut Senecae mos est, historias et orationes, quae in illis insunt, e diverso ponere. Et cfr. quae sequuntur: An turpius est, scribentem mentiri quam palam ... dicentem?

Alia extant testimonia, ex quibus colligi potest, re vera Sallustium aliquamdiu in inimicitiis fuisse cum Cicerone. Leguntur apud Asconium Pedianum (ed. Kiessling et Schoell p. 33) haec: ‚Inter primos et Qu. Pompejus et C. Sallustius et T. Munatius Plancus tribuni plebis inimicissimas contiones de Milone habebant invidiam etiam de Cicerone, quod Milonem tanto studio defenderet. Eratque maxima pars multitudinis infensa non solum Miloni sed etiam propter invisum patrocinium Ciceroni.' Liber habet ‚invisum Ciceronis patrocinium', correxit Hotomannus. Illud mendosum ‚invidiam' Manutius immutavit in ‚invidiosas,' Halmius in ‚in invidiam', delevit Rau. Fortasse verbum inserendum est, sive faciebant sive instigabant.

Sed quoquo modo res se habet, id, quod Jordanus proposuit (Herm. p. 328), vix mihi tolerabile videtur.

Negat, Asconium inimicitiarum Ciceronis et Sallustii ullam mentionem fecisse. Verba ‚invidiam — defenderet' esse interpolata, contendit. Adscripsisse aliquem, cum invectivam, quae Sallustii nomine fertur, legisset, ad marginem Asconii haec: ‚invidi etiam de Cicerone, quod Milonem tanto studio defenderat'; inde ea in contextum irrepsisse. Sed quomodo ille lector

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

invectivae, in qua Milo omnino non nominatur, impelli potuerit, ut haec Asconio adderet, equidem non intelligo. Et, quod gravius est, etiam alio loco inimicitiarum Sallustii et Ciceronis apud Asconium mentio fit. Pergit Asconius l. l.: ‚Postea Pompejus et Sallustius in suspicione fuerunt redisse in gratiam cum Milone ac Cicerone.' Qui in gratiam alicujus redit, eum prius inimicum fuisse, manifestum est. Ergo jam luce clarius est, verba illa ‚invidiam . . . defenderet' Asconiana esse, nisi forte quis etiam verba ‚ac Cicerone' delenda esse censet.

Haeret autem Jordanus etiam in verbis Asconii, quae sequuntur: ‚Plancus autem infestissime perstitit atque in Ciceronem quoque multitudinem instigavit. Pompejo autem suspectum faciebat Milonem.' Verbo ‚quoque' suspicio movetur, Ciceronis nomen antea non inductum esse. Tollitur hic scrupulus, si h. l. restituimus, quod simillimo Asconii loco invenitur: quotidie (p. 45 K. & Sch: tres tribuni, Qu. Pompejus Rufus, C. Sallustius Crispus, T. Munatius Plancus, cum quotidianis contionibus suis magnam invidiam Miloni .. excitarent).

Neque vero ipsis Asconii verbis nostrum ad componendas has oratiunculas adductum esse crediderim. Orationes Ciceronis filiis suis enarrasse videtur Asconius circiter annum 808 p. u. c., vel, si Madvigium sequimur, viginti fere annis post (praef. Kiessl. & Sch. p. X). Quodsi post Asconium scripsisset noster, aequalis fuisset Quintiliani. Rhetorem autem eruditissimum libellum aequalis scriptoris non Sallustio attributurum fuisse apparet. Verisimilius dixerim, Quintilianum in errorem incidisse ipsius Asconii exemplo, a quo se didicisse dicit Quintilianus (Inst. orat. I, 7, 24), vel in ejus commentariis hanc opinionem invenisse ideoque tractationem accuratiorem oratiuncularum non suscepisse. Tradit Asconius (p. 84 K. & Sch.), extare orationes Catilinae et Antonii nomine editas, non ab ipsis scriptas sed ab obtrectatoribus Ciceronis. Vilissimas eas fuisse, inde cognoscitur, quod addit, nescire se an satius sit eas ignorare; Sallustianae orationis mentionem non facit. Quo silentio, si supra recte disputavi, colligere non licet, tum invectivas nondum scriptas fuisse, sed paulum confirmatur, quod suspicatus eram, ipsum Asconium invectivas pro genuinis habuisse. Natus est Asconius temporibus Augusti, scripsit quinquagenarius vel septuagenarius; restat igitur intervallum centum annorum satis longum his invectivis conscribendis.

Sed ut ad res ipsas, quae libello continentur, accedamus, consensus omnium extat, ineptiis abundare utramque invectivam.

Vindicare ingenium rhetoris nolim; tamen, si candide meam sententiam proferre licet, in priore mihi quidam facetiarum lepor videtur inesse. Novitas, vanum gloriae studium, inconstantia Ciceronis salse et lepide castigantur, et quam acuta illa: ‚Romule Arpinas' et: ‚quem Minerva etc.!' At in posteriore quantae nugae! cfr. illa: ‚Ea demum magna voluptas est, C. Sallusti, (te) aequalem ac parem verbis vitam agere' (1, 1) vel ‚mea res familiaris mihi multo minor est, quam habere dignus sum' (3, 9) vel, quae rhetor Ciceronem, acerbissimis conviciis ab altero in alterum ingestis, dicentem facit: ‚his moribus amicum tibi facere non potes; videris velle inimicum habere' (8, 22).

Sed omittamus haec, ne lectorem eis, quibus in obiter perlegendo offenditur, exhauriendis defatigemus.

Gravioris momenti est, quod etiam eae res, quae ad tempora pertinent, valde inter se discrepant.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nullius rei mentio fit in priore invectiva post annum 700 gestae. Milonis invisum patrocinium, ut Asconii verbis utar, non commemoratur. Terentia et Tullia ita inducuntur, ut mihi dubium non sit, quin hanc vivam illam nondum a Cicerone repudiatam scriptor sibi fiuxerit. v. 2, 2 ‚verum, ut opinor, splendor domesticus tibi animos tollit, uxor sacrilega ac perjuriis delibuta, filia matris pellex, tibi jucundior et obsequentior, quam parenti par est:

Extrema res, quae obviam fit, patrocinium Vatinii est (4, 7: Vatini causam agis), quam causam Cicero a. 700 dixit. Et omnia istis temporibus accommodata sunt.

Notum est Ciceronem, cum ex exilio redisset, tempori indulsisse et Caesaris partibus favisse. Quae inconstantia Ciceronis non solum optimatibus odiosa, sed etiam Caesarianis suspecta erat. Palam dixit Vatinius, sola fortuna et felicitate Caesaris commotum esse Ciceronem, ut ejus amicus fieret (ep. ad. fam. I, 9 § 7). Qua contumelia Cicero non impeditus est, quominus eundem Vatinium, quem antea oratione Sestiana laceraverat, petente Caesare defenderet. Patrocinium inimicissimi quantum offensionis habuerit, potest intellegi e litteris Ciceronis copiosissimis ad Lentulum proconsulem missis (ad fam. I, 9). Quaesierat Lentulus, quibus rebus commotus Vatinium defenderet et laudaret. Respondet Cicero, adductum se esse cum Caesaris jussu tum inimicitiis optimatium. Queri eos, descivisse Ciceronem a pristina causa. Neque vero se sed illos optimatium nomine jam non dignos commutatos esse. Quare defendisse se Vatinium Caesarianum idque in ipso judicio professum esse, ut quorundam nobilium hominum animos repungeret.

Quid autem gravius a Pseudo-Sallustio reprehenditur, quam inconstantia Ciceronis! cfr. illa: ‚homo levissimus, supplex inimicis, amicis contumeliosus, modo harum, modo illarum partium' etc. (3, 5) et totum finem orationis: Vatini causam agis etc. Quae omnia ad ista tempora spectare, eo evincitur, quod etiam verba nonnulla invectivae cum illa epistula congruunt: cfr. inv. in Cic. 4, 7: ‚qui tibi a n t e optimates videbantur' etc. et ep. ad fam. I, 9, 17 ‚qui t u m nostro illo statu o p t i m a t e s nominabantur'. Procul dubio Cicero tum saepius optimates tali convicio agitabat.

Dixerit igitur aliquis finxisse scriptorem non multo post causam Vatinii hanc orationem esse habitam.

At in posteriore multa invenies, quae post a. 700 acciderunt. Bella civilia jam composita sunt, Sallustius Africa provincia vexata (quam a. 709 administravit) in Italiam jam rediit. Quin etiam Caesarem jam mortuum declamator videtur induxisse, cfr. 4, 12: ‚virtutibus Caesaris f a v i' et 7, 20 Sallustius villae dominus dicitur, cujus paulo ante f u e r a t Caesar. Etiam haec quamvis ineptus vivo Caesare dicentem non fecisset Ciceronem: ‚posteaquam res publica armis oppressa est (6, 17)' et ‚in ea (nempe Caesaris) te castra conjecisti, quo omnis sentina reipublicae confluxerat' (6, 16) et ‚ejus partis erat Sallustius, quo tanquam in unam voraginem coetus omnium vitiorum excesserat' (6, 18).

Quae discrepantiae, adhuc vix adnotatae, mihi primum suspicionem moverant, a diversis grammaticis diversis temporibus invectivas esse compositas. Sed hanc opinionem rejiciendam esse ex uno eodemque invectivarum genere dicendi supra collegimus, neque ob ea, quae attuli, inter se repugnantia ut recipiatur necesse est. Id unum affirmare ausim, falli, qui censeant, ab rhetore ipso collecta esse convicia, quae profert. Cur enim omnia, quae post a. 700 Ciceroni acciderunt, omisisset, Sallustii autem totam vitam amplexus esset?

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Discrepantiam in ipsa fontium, ex quibus hausit, indole positam esse credo. Qui quales fuerint, jam cognosci potest. Usus est noster ad priorem invectivam componendam sive epistula sive oratione non multo post a. 700 ad infamiam Ciceronis edita, qua potissimum inconstantia ejus notabatur, ad posteriorem vita Sallustii post mortem ejus conscripta. Alia scripta non adhibita esse, etiam eo comprobatur, quod in posteriore invectiva ad refutanda illa convicia in Ciceronem ingesta rhetor nihil habet, quod afferat, nisi verba: cfr. in Cic. 4, 7: ‚Vatini causam agis, de Sestio male existimas, Bibulum petulantissimis verbis laedis, laudas Caesarem' et in Sall. 4, 12: ‚Neque me paenitet, si aut petenti Vatinio reo patrocinium pollicitus sum aut Sesti insolentiam repressi aut Bibuli patientiam culpavi aut virtutibus Caesaris favi etc.'

Quae si recte disputata sunt, ineptiae posterioris invectivae non sunt mirae. Fontes suos parum mutasse auctor videtur, qui ne id quidem efficere studuit, ut tempora concinerent. Alteri libro, quo usus est, non multum addidit, brevitatem Sallustii imitaturus; in posteriore invectiva componenda cum studio copiae Ciceronianae imitandae tum inopia rerum, quibus criminibus in Ciceronem allatis responderet, ut verba congereret, coactus est.

Hausit, ni fallor, ex fonte prioris invectivae etiam declamator, qui Fufii Caleni orationem a Dione servatam elaboravit. Multa apud Cassium Dionem invenies, quae etiam in invectiva: Ciceronem fuisse auctorem belli Catilinarii (Dio XLVI c. 2 et c. 20. cfr. inv. 2, 3), vendere eloquentiam (Dio l. l. c. 6. cfr. inv. 1, 2), incestum fecisse cum filia (Dio l. l. c. 18. cfr. inv. 2, 2), fugisse Roma timore Clodii (Dio c. 11 = inv. 3, 5 fugax). Complura investigavi ad verbum repetita. cfr.

Dio c. 4. *ἐκ τῶν κακῶν τῶν ἀλλοτρίων καὶ πλουτεῖ καὶ αὔξει* =
inv. in C. 2, 4 (quin) opulentiam istam ex sanguine et miseriis civium pararis

Dio c. 3 et 22 *ἄπιστος*	inv. 3, 5 nemini fidus	Dio c. 3 *αὐτόμολος*	inv. 4, 7 transfuga

et, quod gravissimum est, addit Dio, ab aliis Ciceronem transfugam vocatum esse (*ἐφ' ᾧπερ αὐτόμολος ἐπωνομάσθη*). Etiam nonnulli flosculi redeunt:

Dio c. 13: *εἶτα τοιοῦτος αὐτὸς ὢν ἐτολμήσας...*	inv. 3, 5 atque is, cum ejusmodi sit, tamen audet dicere.	c. 12: *εἶτα τούτων οὕτως ἐχόντων, τολμᾶς λέγειν..*	atque cum haec ita sint, tamen Cicero dicit (2, 3).

Alio loco, quo codices invectivae variant, ex Dione colligendum esse censeo, quae lectio anteferenda sit. Praebent libri H H²: inv. 1, 1, ubicubi Tullius, leges **judicia** defendit, H¹ A T B **‚audacia'**, quod Jordanus recepit. cfr. autem Dionem (c. 20): *πολλὰ μὲν περὶ τῶν νόμων πολλὰ δὲ καὶ περὶ τῶν δικαστηρίων ἀεὶ καὶ παντάχοῦ θρυλλῶν* neque dubitabis, quin l. l. cum libris H H² ‚judicia' restituendum sit.

Dixerit aliquis notas fuisse invectivas rhetori, qui Fufii Caleni orationem composuit. At de vita Sallustii inter se repugnant auctor invectivarum et Cassius Dio. Recte tradit ille, per quaesturam in senatum reductum esse Sallustium (inv. in Sall. 6, 17), hic, per praeturam (42 c. 52). Quare magis pronus sum credere, ea quae protuli similia ex communi utriusque rhetoris fonte originem duxisse.

Restat, ut de codicibus disseram, quibus invectivae ad nostram aetatem pervenerint. Novam invectivis recensendis normam attulit Jordanus collatis tribus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Harlejanis libris (H saec. IX vel X, H^1 saec. XI, H^2 saec. XII) a Francisco Ruehlio investigatis. Etsi Jordani editione contextus, quem Baiter exhibuit, non multis locis emendatus est — usus enim est Baiter codice Gissensi saec. XV arcte cum libris H H^2 cohaerente — tamen firmiora artis criticae fundamenta demum a Jordano posita sunt. Omissis enim non modo codice Gissensi sed omnibus noviciis libris, qui permulti sunt (v. Jordanum Herm. p. 306), sex veteres libros, qui sequuntur, adhibere licet:

A codex Guelferbytanus saec. X,
H codex Harlejanus saec. IX vel X,
H^1 codex Harlejanus saec. XI,
H^2 codex Harlejanus saec. XII,
T codex Monacensis saec. XI,
B codex Monacensis saec. XII.

Qui post Jordanum edidit invectivas, C. F. W. Mueller (Lips. 1879) nihil eis recensendis attulit; quin etiam Jordani editionem omnino neglexit. Jordani igitur solius vestigia prememus.

In commentatione (Herm. p. 311) libros sic ordinavit:



Operae pretium videtur, locos varios ab ipso et Baitero adnotatos (Monacensium enim scripturas ex apparatu Baiteriano non repetiit Jordanus) percurrere, ut videamus, utrum recte Jordanus sic ordinaverit libros necne.

Omnes libri ex eodem archetypo, qui hodie non extat, descripti sunt. Occurrit enim tantus in plerisque mendis consensus, tanta in vocabulis omittendis congruentia, ut de communi fonte, ex quo manaverint, dubitari nequeat (v. in Cic. 2, 3 alios ... pecunia condemnatas; 2, 4 quin — parasti, 4, 7 ancillares pro ancillaris; in Sall. 1, 1 ratio pro ‚oratio', 7, 19 domum relinire etc.). Haud scio an ipse archetypus jam interpolatus fuerit, cfr. in S. 5, 14 venalem habuit, vendidit; aliis locis verba supra versum scripta erant ut in Sall. 8, 21 $\frac{\text{omnis}}{\text{ordinis,}}$ vel ad marginem ut in Sall. 6,17 vexavit — vixit.

Neque vero ex eodem exemplari originem duxerunt libri, qui extant. H^1 A T B enim multo artiore cognationis vinculo inter se quam cum H H^2 conjuncti sunt. Alia omissa sunt in H^1 A T B, alia in H H^2 (in H^1 A T B desunt genuina verba ‚tuenda' in S. 2, 6;

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

‚armatos‘ in S. 2, 7; in H H² (in S. 1, 3) suo, in S 5, 15 secutus est; in Sall. 6,16 sis). Etiam lectiones saepius inter se repugnant (audacia H¹ A T B — judicia H H² — in C. 1, 1, ex sanguine et miseriis H¹ A T B s. ac m. H H² in Cic. 2, 4, illius H¹ A T B ejus H H² in Cic. 3, 4, nequeat H¹ A T B non queat H H² in Sall. 5, 14, auditum H¹, auditu A T B aut dictum H H² 6,16).

Multis locis alia est series verborum in H¹ A T B alia in H H².
Exemplar librorum H H² magis altero interpolatum erat. Omitto illa ‚ego, vero‘ quae dubito utrum genuina sint an additamenta. Aliis autem locis manifestum est, exemplar librorum H H² fuisse interpolatum (in S. 3, 8 $\frac{\text{querar}}{\text{loquar;}}$ in S. 5,13 $\frac{\text{sumptus}}{\text{questus}}$ scriptum erat). Neutrius exemplaris auxilio carere possumus, alio loco hoc alio illud lectionem religiosius expressam servavit.

Ut jam ad singula genera transeamus, A et H¹ artius inter se cohaerent, quam cum ceteris ejusdem generis. Saepe enim cum in omittendis vocabulis tum in prave scribendis consentiunt (exempli gratia in S. 2, 5 proluxi pro ‚praeluxi‘, in S. 2, 6 perscriptionem pro ‚proscriptionem‘, in C. 2, 4: exedificaveris pro ‚aedificaveris‘, in C. 1, 1 in ordine pro ‚in hoc ordine‘). Tamen H¹ ex vetustiore codice A transscriptus esse nequit. Non modo verba genuina, sed etiam totae sententiae in A desunt, quae in H‘ extant.

Et multis locis A ab H¹ ita discrepat, ut dubitari non possit, quin A contextum praebeat saepe consulto mutatum et interpolatum (cfr. exempli gratia: in S. 3, 8 A homo levissime pro ‚homo‘, in S 3, 10 ego fugax quidem pro ‚ego fugax‘, in S. 5, 14 difficile pro ‚non facile‘, in S. 1, 2 A 1, 3 debebitis pro debetis, 8, 22 malle pro velle, gravius pro graviter, aperte pro apte). Quibus locis librarium non errore lapsum sed corrigendi studio ad mutandum deductum esse, perspicuum est.

Censet Jordanus, ex eodem fonte, ex quo H¹, manavisse librum A. At desunt omnes illae correcturae in H¹. Si eodem fonte, quo H¹, usus esset A, omnia illa ipse mutasset.

Quod iam credi non potest adhibitis libris T B. Ex A ipso originem non duxerunt T B, quod multa genuina exhibent, quae in A desunt (v. in S. 5, 14; 6, 16). Tamen complures ex illis correcturis amplectuntur, quae in A inveniuntur. (v. debebitis pro ‚debetis‘ (in S. 1, 2 et 1, 3), auditu pro ‚aut dictum‘ in S. 6, 16: iidem A T B omiserunt verba: et sceleratissimo in C. 1, 1, invasisti in S. 3, 9). Manifestum est his locis jam commune librorum A et T B exemplar depravatum fuisse. Eae tantum correcturae, quae in T B non inveniuntur, ipsi librario A tribuendae sunt. B ex codice vetustiore T transscriptus esse non potest; reperiuntur enim verba ‚tantum-pudicitia‘, quae in T desunt (in S. 3, 7), in codice B.

Accedamus ad alterum genus. Exemplar librorum H H² uncialibus litteris exaratum fuisse, adnotaverim in Cic. 3, 6 praebet H ‚his‘ H² ‚piis‘. Quae discrepantia facile intellegitur, si exemplar habuit: H I S.

Ipsum exemplar jam interpolatum fuit, ut supra dixi. Nonnunquam H studio corrigendi contextum etiam magis mutavit. (in S. 8, 21 veritatem pro ‚verum‘ ib. tantum-quantum pro ‚totidem-quot‘ reliquorum librorum etc.). Quibus locis H² genuinam lectionem servavit. Manifestum igitur est, librum H² non ex H ipso manavisse. Multo saepius autem quam H corrupit contextum H². Sescentos locos vel omittendo vel mutando

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vel addendo novavit. Lectiones, quae ei depravatae videbantur, suo ingenio usus sanare studuit (exempli gratia: in S. 5, 15: omnibus matribus familiarum H^2, ceteri ‚omnibus matrum' familiarum vestris vel uris pro ‚viris'). Quin etiam totas sententias immutavit v. in S. 5, 13 et 2, 4. Quare Vogelio assentiri nequeo, qui adjumentum emendationis potissimum ex libro H^2 petivit. Tantum auctoritatis libro H^2 tribuendum est, ut illo cum libris H^1 A T B alterius generis collato cognoscere possimus, quibus locis H ab exemplari suo recesserit. Quae H^2 solus protulit, pro meris conjecturis habenda sunt. Sic igitur libros ordinandos esse censeo:



Maxima fides habenda est libris H^1 et H, neque vero negligendum, omnes libros ex eiusdem archetypi fontibus manavisse. Omnium igitur lectiones inter se comparandae sunt, ut ex eis, quid in archetypo fuerit, perspiciatur.

Quibus praemissis ad singulos locos transeamus tractandos. Sequor in locis laudandis Jordani tertiam Sallustii editionem (1887).

Quem titulum rhetor oratiunculis praefixerit, incertum est. Alterum archetypi apographon inscriptionem invectivarum habuit (H H^2), exemplo Catilinariarum. Alterum exemplar simpliciter ‚Sallustius in Ciceronem' videtur inscriptum fuisse, quod A exhibet; in T legitur: ‚Sallustii in Ciceronem' eademque verba in H^1 posteriori (!) invectivae subscripta sunt. Quod in B (saec. XII) invenitur: ‚oratio invectiva' manu recentiore additum est. Posterior invectiva in A solo ‚controversia' inscripta est. Equidem rhetorem ‚Sallustius in Ciceronem' ‚Cicero in Sallustium' scripsisse censeo. Ita enim facillime, quod voluit', assequi potuit, ut pro genuinis haberentur orationes. Suspicionem confictas esse oratiunculas ipse movisset, si titulum controversiae vel invectivae praefixisset.
Quacum sententia videtur consentire Quintilianus, qui simpliciter ‚apud Sallustium in Ciceronem' laudat.

Inv. C. 1, 1 maledicta tua et inferius paulo: respondebo] Valde me offenderunt primum haec verba. In altera enim oratiuncula (1, 1) Cicero dicit, Sallustium ‚altercationis initium introduxisse', se responsurum esse. Quomodo fieri potest, ut utrumque adversarium, se responsurum esse, dicentem faciat unus idemque scriptor?

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed si accuratius priorem invectivam perlegeris, nihil invenies nisi convicia in Ciceronem ingesta, nullo loco re vera Sallustius alicui maledicto Ciceronis respondet. Quare consentaneum fit, finxisse rhetorem, jam antea Ciceronem maledixisse Sallustio, ut facilius intellegeretur acerbitas Sallustii. petulantia ista uti] H^1 A T B — ista pet. H. Pronomen ‚iste', ubi sonum habet, praemitti solet, sed verba in H^1 A T B recte ordinata esse, cognoscitur ex simillimo loco invectivae posterioris 8, 22: desine morbo procacitatis isto uti. quoniam — animadverto] pro ‚cum animadverto' correxit Halmius, cum necessario causalis sententia flagitetur, ut, si quam male dicendo voluptatem cepisti, eam male audiendo amittas. omnes veteres libri habent ‚male dicendo' pro ‚male audiendo', quod Jordanus recepit novicios libros secutus. Ferri potest etiam vulgata hoc sensu: tuis maledictis voluptatem cepisti, meis amittes. ubi querar, quos implorem, diripi rempublicam] Recte Woelfflinus ad dissertationem Vogelii adnotat (p. 336) verba ‚quos implorem' esse glossema. Neque enim bene dicitur: ‚implorare diripi rempublicam' et, quae sequuntur ‚apud populum' ‚apud vos' non ad verbum implorandi sed ad verbum querendi spectant. Est hujus loci quaedam similitudo cum Ciceroniano (or. pro Flacco § 4): ‚Quem enim appellem? quem obtestor? quem implorem? Senatumne? . . . an equites Romanos? . . . an populum Romanum? . . .' Haud scio an isto loco interpolator adductus sit, ut ‚quos implorem' adderet. Optime quadrant ad locum Ciceronianum, hic contextum conturbant. audacissimo cuique esse perfidiae] Ad sententiam impeditam scriptoris propius accedere studuerunt libri recentiores, qui ‚locum' addiderunt. Correxit lectionem Eussner (Jenaer Litteraturztg. 1876 N 46 p. 751), qui proposuit ‚esse praedae', ut inv. in S. 6, 17: ‚praedae loco magistratum accipere.' Et manifestum est, magis esse audacissimi, pro praeda habere rempublicam, quam perfidia vexare. ubiubi M. Tullius, leges audacia defendit] ubi H^1 H^2. Suo jure receptum est ab Jordano ‚ubiubi' i. e. ubicumque M. Tullius est Confirmatur haec lectio Dionis loco simillimo, quem supra adnotavi (p. 11): *πολλὰ μὲν περὶ τῶν νόμων πολλὰ δέ καὶ περὶ τῶν δικαστηρίων ἀεὶ καὶ πανταχοῦ θρυλλῶν.* Non recte autem Jordanum ‚audacia' pro ‚judicia' ‚quod H H^2 praebent, restituisse, non solum loco Dioniano comprobatur, sed etiam per se intellegi potest. Offendit enim ablativus ‚audacia' = audacter, neque cum praepositione neque cum adjectivo conjunctus. Neque viam monstrat Jordanus, qua litterae r. p. (p. r. solus exhibet H^2), quae post ‚audacia vel judicia' in omnibus libris inveniuntur, in contextum venerint. Quare cum H ‚leges, judicia, rempublicam defendit' restituere malim; cfr. etiam in hac ipsa invectiva 3, 5: ‚omnia judicia, omnes leges in tua libidine erant' et Jug. 31, 20: ‚leges, jura, judicia penes paucos erant.' Exemplum huius loci haud scio an fuerit illud Ciceronianum: ‚nos leges, judicia — patriam defendimus' (Phil. VIII § 8.)

reperticius (accitus)] Variant editores in forma hujus vocabuli. Aldina et Cortius repticius, Wassius repeticius, Baiter et Jordanus, quod codices tuentur: reperticius. Lectio ‚repeticius' plane respuenda est. Nam vocabulum repet. idem esset ac denuo petitus, arcessitus, quod ab sensu abhorret. Malim assentiri Aldinae: repticius i. e. reptando ingressus; latet enim aliquod subsidium in vocabulo, quod sequitur, ‚insitus'. Confirmatur haec lectio, ni fallor, voce ‚accitus'. Acciri eos tantum dici potest, qui ut celeriter accurrant, ab aliquo

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

evocentur; quod potissimum ab eis fit, qui auxilio indigeant. ‚accitus' igitur laudi potius quam dedecori esset. Additum est ab interpolatore notionis vocabuli ‚repticius' ignari. Recte igitur secluserunt primi editores; quo jure Jordanus deleverit, qui vulgatam ‚reperticius' servat, equidem ignoro. insitus huic urbi civis] cfr. Cat. 31, 7, ubi Cicero ‚inquilinus civis urbis Romae' vocatur. Eodem sensu epp. ad Caes. senem, de quibus infra disseram II, 11, 3: ‚multitudo insiticia'. 1, 2 alicui collibuisset] inv. in C. 5,13 invenitur: ‚alteri collibuisset'. Quare h. l. Baiter restituit ‚alteri'. At nescio, an ‚alicui' etiam acerbius dictum sit, quam ‚alteri'. scilicet] ‚aut scilicet' libri praeter H², qui ‚scilicet' omisit. Cortius ‚aut' delevit, Orellius proponit ‚an'. Sed neque ‚aut scilicet' neque ‚an scilicet' conjunguntur apud Sallustium. Fortasse ‚at scilicet' restituendum (ut Sall. or. Philippi § 5) et signum interrogationis delendum est.

eloquentiam apud M. Pisonem perdidicisti] Apud M. Pisonem se didicisse, ipse dicit Cicero Brut. § 310 (Commentabar declamitans saepe cum M. Pisone) et Asconius testatur his verbis: Fuit Piso eisdem temporibus, quibus Cicero, sed tanto aetate major, ut adulescentulum Ciceronem pater ad eum deduceret, quod in eo et antiquae vitae similitudo et multae erant litterae' (cfr. K. et Sch. p. 14). Haud scio an Asconius criminibus in Pisonem confictis respondere voluerit, cum priore loco ‚antiquae vitae similitudinem' efferret.

(jacturam, in editione altera Jordani recte jactura) uxor ... periuriis delibuta] Sic recte T, ceteri debilitata. delibuta i. e. imbuta periuriis quasi coeno. Non raro ‚delibutus' ad animum transfertur. v. Ter. Phormio V, 6, 17: delibutum gaudio, Plin. h. n. IV, 12 (26): delibutoque senio luxu. — Terentia paene virili animo fuisse dicitur, cfr. ep. ad fam. XIV, 1 in., quo loco Cicero ‚incredibilem fortitudinem' uxoris praedicat. Non mirum igitur, ista in Terentiam conficta esse. matris pelex] Non maritus sed uxor pelicem habere dicitur. cfr. Ovid. Met. VI, 537 pelex sororis.

funestam] ‚honestam' proposuit Eussner, sed ex vulgata aptior sensus elicitur. Funestam dicit rhetor domum Ciceronis, quod dirutam restituit, quamquam Clodius templum Libertatis in fundo exstruxerat (cfr. pro domo § 104, 108). 2, 3 in ea domo ... quae P. Crassi fuit] Scribit Cicero in epp. ad fam. (V, 6 § 2), emisse se domum ‚de Crasso'. M. Licinium Crassum triumvirum, cui permultas domos Romae fuisse Plutarchus (Vita Crassi c. 2) tradit, intellegendum esse etiam eo verisimile est, quod praenomen addere Cicero supersedit. Dixerit aliquis, eam domum emisse Ciceronem, quae a patre P. Crasso ad M. Crassum hereditate venerat. Vocat autem Cicero hunc P. Crassum ‚sapientem et eloquentem et primum hominem' (Tuscul. I, 33, § 81). Neque vero neglegendum, quod refert Plutarchus (c. 1), domum P. Crassi parvam fuisse (ἐτράφη — sc. M. Crassus ἐν οἰκίᾳ μικρᾷ); maximo autem Cicero domum emit (epp. ad. fam. l. l.). Ergo noster auctor errasse videtur. in concilio deorum immortalium fuisse] cfr. 4, 7: ‚Juppiter optumus maxumus in concilio deorum admisit'; ex carmine de consulatu, de quo infra. carnificis nomine . . .] Catonem quidem, qui idem senserat de puniendis conjuratis, quod Cicero, ‚carnificem civium' appellatum esse, ex ipso Cicerone novimus (pro domo § 21). eo tempore, quod . . .] ‚quo' libri, ‚quod' priore ‚idcirco' requisitum correxit Baiter. leges Plautiae judicia] legis Plautiae de vi, qua ei tenebantur, qui rem publicam oppugnaverant, ut saepius

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mentio fit (v. Zumptium Criminalrecht der roem. Republik II, 1, p. 266), ita etiam in Cat. 31, 4 (Catilina lege Plautia interrogatus). Hac lege Catilinae socios condemnatos esse, etsi non negat Zumptius, tamen istis temporibus etiam legem Lutatiam de vi latam esse contendit. Utrum recte senserit ille an Waechter, qui solam legem de vi fuisse Plautiam, censet, juris Romani peritiores dijudicent. domo pro ‚domi‘ Non rhetorem ipsum sed librarium archetypi hoc commisisse crediderim. Recte enim legitur in S. 3, 9 ‚domi‘ in omnibus libris praeter A, qui ‚domui‘ exhibet. Ita saepissime pro ‚domi‘ scriptum esse, docet Neue (Lat. Formenlehre I, 540). Fortasse hoc quoque loco archetypus ‚domui‘ habuit vel ‚domu‘, quod Cat. 28, 1 in optimo libro invenitur.

ex conjuratis alios . . . pecunia condemnatos| lacunam archetypi suppleverunt verbis ‚exilio alios‘ Halmius et Jordanus. Malim cum prioribus editoribus ‚morte alios‘ supplere, cum etiam Dio, quem eodem fonte, quo auctor invectivarum, usum esse supra disputavi, complures Catilinae socios etiam post Ciceronis consulatum supplicio affectos esse tradat (XXXVII c. 41). alius Tusculanum — emebat. Tusculanum emit Cicero jam ante consulatum (a. 685 vel 686), Pompejanum, cujus anno 694 primum mentio fit (ep. ad Att. II, 1 § 11), et domum post consulatum, utramque aere alieno (ep. ad. Att. l. l. et ad fam. V, 6 § 2). Teste Gellio (N. A. 12, 12) mutuam pecuniam accepit domus emendae causa a P. Sestio, quem defendit non fuisse in conjuratione Catilinae. — Non immerito igitur h. l. dicitur: ‚alius domum emebat‘ nihil poterat| intellege emere, dare. calumniae proximus: Haec verba Sallustius non conjunxisset. Fortasse ‚Catilinae proximus‘ restituendum est, ut Cat. 14, 3: omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, ei Catilinae proxumi . . . erant.

de eo tibi compertum erat ex numeris Sullustianis cfr. Cat. 14, 7; 22, 3; i. e. tibi constabat, eum sodalem fuisse conjurationis. 3. 4. ex sanguine et miseriis Jordanus cum H^1 A T B; ‚ac‘ cum H H^2 recipere malim, quam particulam adamasse rhetor videtur. Invenies in hac ipsa invectiva septies ‚et‘, tredecies ‚ac, atque‘: homo novus Arpinas ex M. Crassi familia . . . M. Crassi nescio quo casu intrusum correxerunt priores editores Glareanum secuti in ‚Marii‘. Jordanus vulgatam lectionem recepit censens, re vera ineptissimum scriptorem ‚M. Crassi‘ scripsisse. — Quomodo autem fieri potuerit, ut rhetor, quamvis ineptus Ciceronem ‚Arpinatem ex M. Crassi familia‘ vocaret, equidem minime intellego. Et Marium intellegendum esse, ex verbis, quae sequuntur, luce clarius apparet. Illud ‚contemnit simultatem hominum nobilium‘ quis veterum de M. Crasso triumviro dixisset? at cfr. Jug. 84, 1 ‚Marius . . . infestus nobilitati‘ et inprimis Marium ipsum virtutem suam praedicantem (Jug. 85): comparate cum illorum (nobilium) superbia me hominem novum (§ 13) . . . contemnunt novitatem meam ego illorum ignaviam (§ 14) . . . mea bene facta rei publicae procedunt (§ 5): — Etiam in posteriore invectiva hac oratione nostrum usum esse, infra docebo. Neque sine lepore Cicero ‚ex Marii familia‘ vocatur, qui saepissime se cum municipe suo contulit eumque etiam carmine heroico celebravit (v. Ribbeckii Geschichte der römischen Dichtung p. 299). caram habet rem publicam; ‚(rei publicae) curam habet‘ Aldina et Cortius; invenies autem ‚carum habere‘ Jug. 10, 3 et ep. ad. Caes. II, 12, 5.

neque terrore neque gratia movetur correxit Veneta pro ‚removetur‘ librorum, quod

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cortio et Baitero non displicebat. Sed ‚moveri' proprie usurpatur de sensuum animique qualicunque perturbatione cfr. Sall. or. Marcii § 26: non gloria moveamini.

3,5 aliud vero amicitia tantum ac virtus est animi. (amicitiae H H² T B). Locus tam obscurus, ut dubitari nequeat, quin valde depravatus sit. Variant viri docti in emendando. Lambinus ‚illud verae amicitiae hoc virtutis est animi'; Cortius: ‚illud vero amicitiae tantum ac virtutis est animi'; Gerlachius: ‚Alia vero amicitia tua ac virtus est animi'; Vogelius: ‚Aliud vero imitatio tantum ac virtus est animi' Quae omnia ab sensu etiam magis abhorrent, quam ipsa vulgata. Jordanus totum enuntiatum glossema esse putat. Equidem sic emendaverim: ‚Aliud vero amicitiae jactantia ac virtus est animi' Postquam enim acerbis facetiis virtutem Ciceronis praedicavit (‚illius — sc. Marii — virtutem imitatur . . . neque terrore neque gratia movetur'), ad crimen levitatis et inconstantiae transit rhetor (‚homo levissimus . amicis contumeliosus . . fidus nemini . :).
levissimus senator non sine ironia dictum, quod saepissime ‚gravis' dicitur ordo senatorius. cujus nulla pars — inhonestissima] Jam Petrus Ciacconius recte intellexerat, magnam similitudinem intercedere inter hunc locum et epp. ad. Caes. senem de republ. II, 9, 2.

ep. ad. Caes de re publ.	inv. in Cic. 3, 5		
an L. Domiti magna vis est? quojus nullum membrum a flagitio aut facinore vacat, lingua vana,	cujus nulla pars corporis a turpitudine vacat, lingua vana, manus rapacissimae, gula immensa,	manus cruentae, pedes fugaces; quae honeste nominari nequeunt, inhonestissima.	pedes fugaces: quae honesta nominari non possunt, inhonestissima.

Epistulas de re publica, quae Sallustii nomine feruntur, subditicias esse, optime Jordanus in commentatione, quem scripsit de suasoriis (Berol. 1868), docuit. Invenies enim in eis non modo obscuras sed etiam vilissimas sententias Sallustio omnino indignas. Tamen Hellwigius (Lips. diss. 1873 ‚de genuina Sallustii ad Caesarem epistula') nisus similitudine verborum, quae est inter hos libellos et Sallustii opera, posteriorem quidem epistulam genuinam esse contendit. Hellwigii parum firma argumenta refutata sunt ab Hartungio (Hal. diss. de Sallustii epistolis ad Caesarem senem 1874) et Vogelio (in actis sem. Erlang. p. 341), qui recte docent, nimia similitudine non evinci genuinas esse epistulas, sed suspicionem potius moveri, hominem ingenii angusti haec ex Sallustio sumpsisse. Quare cum hodie plane in confesso sit, utramque epistulam a Sallustio non esse conscriptam, de tempore, quo suasoriae illae compositae sint, consensus omnium non extat. Id unum propter nonnulla rarissima et insolita et ab usu latini sermonis aliena constat, ante Quintilianum eas non conscriptas esse. Qua re fieri potuit, ut auctor epistularum invectiva Sallustii, ut inscribitur, uteretur.

Quae sententia verbis allatis plane confirmatur. Maxime enim conveniunt scriptori invectivarum, qui modo singillatim de flagitiis Ciceronis dixerat, minime auctori epistularum, qui in L. Domitio nihil aliud reprehenderat nisi crudelitatem Neque vero Jordano assentiri possum, qui censet (Herm. p. 312) hanc fuisse formulam oratoriam in ludis rhetorum usitatam, quae orta sit ex Cic. Cat. I, 6, 13: ‚quod facinus a manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore afuit'? Minima est similitudo, quae est inter haec verba et illa

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

‚lingua vana, pedes fugaces‘ etc. Dubium esse non potest, quin auctor epistularum, qui id studuit, ut Sallustium imitaretur, haec ex ipsa invectiva, quam pro genuina habuit, sumpsisse. O fortunatam natam etc. Hunc versum ex carmine de consulatu depromptum Quintilianus dicit carptum esse a malignis. Notum est, versum multis offensioni fuisse non modo propter iactantiam, quae in eo inest, sed etiam propter κακοφωνίαν — cfr. Flacc. § 102: O nonae illae Decembres, quae me consule fuistis! quem ego diem vere natalem hujus urbis ... appellare possum. sublata lege Porcia] De hac lege disputat Caesar Cat. 51 § 22 et § 40. Lata erat lex Porcia, ut Livii verbis utar (X 9), ‚sola pro tergo civium, quod gravi poena, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit.‘ 3, 6 oblivisci] ‚iis‘ addunt libri praeter H, qui ‚his‘ in spatio vacuo inseruit, et H², qui ‚piis‘ exhibet. Delevit Jordanus cum Francisco Schmidtio. At manifestum est aliquod nomen post ‚oblivisci‘ ab auctore scriptum fuisse; fortasse ‚civibus‘. Syllaba ‚ci‘ propter antecedentem similem facile excidere potuit.
aures ... onerabis v. Horat. Sat. I, 10, 10: ‚verbis lassas onerantibus aures‘.
cedant arma togae, concedat laurea linguae] Ciceronem in Pison. § 74 et de off. I § 77 ‚laudi‘ scripsisse supra monui. Cum nostro auctore consentiunt non modo Quintilianus, cujus verba supra attuli, sed etiam laus Pisonis v. 36 (laurea facundis cesserunt Baehrens Poetae latini minores I p. 227), Plinius n. h. VII, 117, Plutarchus Comp. Cic. et Dem. c. 2 (τῇ γλώττῃ τὴν θριαμβικὴν ὑπείκειν δάφνην). Censet Baehrens (frgm. poetarum Romanorum p. 303) ipsum Ciceronem verbum ‚linguae‘ nimis gloriosum postea cum ‚laudi‘ commutasse. Qui autem versum ‚o fortunatam natam‘ etc. scripsit, etiam verbo ‚linguae‘, si id ei elapsum esset, non ita offensus esset, ut versum permultis notum mutaret et ipse nimiam jactantiam fateretur. Versum malitia malignorum, ut Quintiliani verbo utar, variatum esse, mihi quidem persuasum est. Ab auctore invectivarum eum immutatum esse, dixerit aliquis collatis illis: ‚lingua vana‘ (3, 5), ‚immoderata eloquentia‘ (1, 2). Sed ipse Cicero testatur, solere in hunc versum ab improbis et invidis invadi (off. I § 77). Verisimilius igitur duxerim, jam vivo Cicerone versum esse corruptum et omnium ore ac sermone ita esse celebratum, ut a multis scriptoribus posterioris temporis cum bona fide acciperetur. 4,7 quem Minerva omnis artis edocuit, Juppiter optumus maxumus in concilio deorum admisit, ... Haec ex ipsa invectiva laudasse Quintilianum supra demonstravi, testatur Quintilianus ex ‚carminibus Ciceronis‘ ea esse deprompta neque dubitavit Ribbeckius illa carmini tribuere, quod Cicero de consulatu suo scripsit (Geschichte der röm. Dichtung p. 296). Errasse Quintilianum contendit Jordanus; non ex carmine esse illa sumpta sed ex oratione pro domo habita. Ibi leguntur (§ 144) ‚te, Capitoline, quem propter beneficia populus Romanus optimum, propter vim maximum nominavit, teque, Juno regina, et te, custos urbis, Minerva, quae semper adiutrix consiliorum meorum testis laborum exstitisti etc.‘ Quantum autem haec absunt a verbis invectivae! Id unum ex illo loco colligi potest, Ciceronem saepius Jovem, Junonem, Minervam invocasse, quod nemo dubitabit. Illud gravissimum deest, quod Ciceronem gloriatum esse bis noster tradit, in concilium deorum se advocatum esse. Non est igitur, cur Quintiliano diffidamus; etiam illa, quae ab eo non laudantur: ‚inde missum huic urbi civibusque custodem‘ (2, 3) ad carmen Ciceronis spectare crediderim.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Affert Jordanus, ut comprobet, verba illa ex oratione pro domo laudata usitata fuisse rhetoribus, alium quoque locum. In spuria oratione Ciceronis, ut inscribitur, ‚pridie quam in exilium iret' (§ 24) inveniuntur haec: ‚Nunc ego te, Juppiter optime maxime, cujus nutu ac dictione sola terrarum gubernantur, teque, particeps conubii, socia regni, regina Juno, teque, Tritonia, armipotens Gorgophona Pallas Minerva etc.' At haec, si quis auribus metiatur, ita sonare vix neget, quasi ex carmine sumpta sint.

Italia exulem humeris suis reportavit cfr. or. post reditum in senatu § 39 me ... Italia cuncta paene suis umeris reportavit. Romule Arpinas. Romulum vocat, quod natam se consule Romam dixerat Cicero. Ipse queritur, ab obtrectatoribus se tertium peregrinum regem appellari (pro Sulla § 22).

cui in civitate insidias fecisti ancillaris cfr. Sall. or. Lepidi § 21 an quibus praelatus in magistratibus capiundis Fufidius, ancilla turpis ... quo jure, cum de exilio tuo Dyrrhachio redisti, eum sequeris? Parenthesi incluserunt interpretes, ut sententiam impeditissimam paululum adjuvarent (mit welchem Rechte folgst du ihm (intellege Caesarem), seitdem du aus Dyrrhachium zurückgekehrt bist?) Opponitur: ‚cum — redisti' priori ‚in civitate' i. e. cum nondum relegatus eras. Sed tota oratio claudicat. Omnia, quae sequuntur, e diverso posita sunt; h. l. verba accumulata et quasi conglomerata sunt. Expectaveris potius Caesari Pompejum oppositum, non ‚sequeris' sed ‚insequeris' (quod in H^2 legitur haud scio an religiosius servatum). Quare ita emendandum esse censeo: ‚cui in civitate insidias fecisti, ancillaris — quo iuvante de exilio tuo Dyrrhachio redisti, eum insequeris.' Interrogationis signum delendum est.

Vatini causam agis etc. De Vatinio et Caesare supra dixi; restat, ut de Sestio et Bibulo pauca addam. Qui contendunt, vilissimas esse res, quae hac iuvectiva continentur, potissimum eis nituntur, quae rhetor de Sestio tradit: ‚de Sestio male existimas' et in Sall. 4, 12 ‚Sesti insolentiam repressi'. P. Sestium intellegendum esse, quem Cicero anno 698 defendit, manifestum est, quod Vatinio opponitur, qui contra Sestium testis extiterat. P. Sestium saepe a Cicerone summis laudibus elatum esse, nemo est, qui ignoret, cfr. autem, quae ad Qu. fratrem scripsit Cicero (II 4, 1): ‚Sestius noster absolutus est: illud, quod tibi curae saepe esse intellexeram, ne cui iniquo relinqueremus vituperandi locum, qui nos ingratos esse diceret, nisi illius perversitatem quibusdam in rebus quam humanissime ferremus: scito hoc nos in eo judicio consecutos esse, ut omnium gratissimi judicaremur. Nam defendendo moroso homini cumulatissime satisfecimus'. Quem perversum et morosum vocavit, de eo male existimasse Ciceronem, non sine causa dicit noster. Atque ‚morositas et perversitas' non tantum distant ab ‚insolentia', quam hodie vocant ‚Überhebung'. Etiam ea, quae de Bibulo dicit rhetor, ‚Bibulum petulantissimis verbis laedis' epistulis Ciceronis comprobantur. Irridet enim Bibuli vanum gloriae studium (cfr. ad Alt V, 20, 4: ‚coepit laureolam in mustaceo quaerere') et ‚pusillum animum et ipsa malevolentia jejunum atque inanem' (ep. ad. fam. II, 17, 7). Scripsit Cicero illa de Sestio a. 698, haec de Bibulo anno 703 vel 704. Qua re confirmatur, ni fallor, quod supra disputavi, usum esse rhetorem libro nescio quo non multo post annum 700 ad infamiam Ciceronis edito.

neque in hac neque in illa parte fidem habens. Potest intellegi: ‚neque hujus neque illius partis hominibus tu fidem habes' aut ‚neque hujus neque

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

illius partis homines tibi fidem habent: Posterior notio praeferenda est, ad antecedens verbum transfugae optime quadrans.

Inv. in Sall.

1. 1. aequalem ac parem verbis vitam agere] aequalis h. l. idem est quod accommodatus cfr. Cicero Or. XXXVI § 123: rebus ipsis par et aequalis oratio. — Sententiam non esse universalem, sed subjectum ‚te' deesse docet ‚tua' quod sequitur. Mutat Eussner ‚tua' in ‚ita': Sed operae pretium non videtur, latinitatem rhetoris perpolire, qui pejora commisit. quo me praevertam, patres conscripti, unde initium sumam? Quem locum qui contulerit cum Sallustianae invectivae exordio, facile sibi persuadebit, tales declamationes ad speciem quandam praescriptam in ludis rhetorum compositas esse. actibus] pro rebus gestis. Vogelio assentior (p. 337) h. l. actionibus restituenti, ut in hac ipsa invectiva 4, 12: vos, quos ego habui omnium actionum mearum monitores et Cat. 43, 1: queri de actionibus Ciceronis.

Scriptum est in A: actibus nostris, in H $\frac{\text{nostris}}{\text{actibus,}}$ archetypus $\frac{\text{oni}}{\text{actibus}}$ videtur habuisse . . . . Apud Ciceronem ‚actūs' pro rebus gestis nusquam invenitur nisi de leg. I, 11: ‚nec solum in rectis sed etiam in pravis actibus.' Quem locum omnes editores depravatum esse censent, in emendando non consentiunt. Mihi maxime Vogelii conjectura arridet, qui ‚artibus' proposuit. id vos si forte offendimini, justius huic quam mihi succensere debetis] id — succensere inter se conjunguntur ab interpretibus, structura neutiquam aliena a latino sermone: cfr. Gellius N. A VI, 2, 5: ‚peccata hominum succensenda sunt: Magis autem pronus sum, struere: ‚Id vos si offendimini; ‚id' esse accusativum ad graecam dicendi normam crediderim.
initium introduxit] pleonasmus Ciceroni non usitatus, cfr. autem Liv. 39, c 23 § 5 inchoata initia et III, 54, 9: initia inchoastis.

1. 2. in hunc minime mentitum esse videatur] Praecepta grammaticorum poscunt: ‚in hunc mentitus esse videar', quod H^2 praebet procul dubio emendatum et H^1 recentiore manu correctum. — Ipsum verbum mentiendi h. l. passive usurpatum esse non potest, in eadem enim invectiva (§ 7) ter activam notionem habet. At participium ‚mentitus' non raro idem est ac ‚fictus, falsus' cfr. Verg. Aen. 2, 422: mentita tela, Ovid. Met. V, 326: mentitis figuris. Cicero eadem notione dixit ‚ementitus' cfr. Phil II, § 88: ementitis auspiciis. Quare h. l. fortasse ‚ementitum' restituendum est: littera e post ‚minime' facillime excidere potuit. habere magnum expectationem dicitur et de rebus singularibus, quae expectantur, et de eo, qui singularia expectat. H. l. prior notio usurpatur ut Cic. ad fam. V, 12 § 5: viri excellentis ancipites casus habent expectationem. quod nullum vos sciatis] ‚sciam' proponit Jordanus. Sed ‚scio . . . quod sciam' vix ferendum est et sensus hac conjectura non expeditur sed depravatur. Sic explicaverim: Scitis, vos non nova sed vetera istius crimina audituros esse, quare equidem non ignoro, magnam expectationem mihi non explendam esse:'

aures calent, quae saepissime illa crimina audiverunt. Ita et loca frequentata calere dicuntur (v. Mart. VII, 7, 2: ungularum pulsibus calens Hister).

praeterire rarissime usurpatur pro ‚superare, vincere'; ductum est

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ab eis, qui cursu certant cfr. Verg. Aen. IV, 157: ‚Gaudet equo; jamque hos cursu, jam praeterit illos' et Ov. Pont. IV, 7, 51: Virtus alios tua praeterit omnes.

1. 3. nisi lutulentus] ‚nisi ut lutulentus' libri; delevit ‚ut' supervacaneum Franc. Schmidtius, quod facile ob sequentes similes literas intrudi potuit.
calumnia, quam unusquisque fert] ‚calumniam ferre' idem est quod ‚condemnari propter calumniam': cfr. Cael. in Cic. epp. 8, 8, 1 ‚Scito, C. Sempronium Rufum calumniam maximo plausu tulisse'. Locum obscurum sic explicaverim: ‚Ipse sordidissimus alios contumeliis vexas. Qua procacitate linguae non id, quod vis, assequeris, ut obliviscamur, qualis ipse sis; immo calumniatoris poenam accipies: de eo, qui — objectat] Intellexit Jordanus, haec esse interpolata a glossatore notionis verborum ‚calumniam ferre' ignaro.

4. quod si vita istius memoriam vicerit] ex rhetorum pompa; idem est ac ‚si jam non meministis, qualis vita istius hominis fuerit'.

2, 4. ‚num quid his, quos protulit Scipiones et Metellos ante fuerit aut opinionis aut gloriae' sagaciter correxit Franc. Schmidtius. — Ad speciem orationis Marianae (Jug. 85) haec composita mihi videntur esse cfr. § 17: quodsi me despiciunt, faciant idem majoribus suis, quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas coepit! et illa (§ 23) ‚majorum gloria posteris quasi lumen est' noster sic invertit ‚ego majoribus meis virtute mea praeluxi': cur non aeque de nobis existimetur] ‚de' omittunt libri praeter (H^2), quod signum uncinis saepsit Jordanus, quod solo silentio ejus, qui contulit, de hac lectione constat — ‚de' supervacaneum est; respondet ‚nobis' praecedenti ‚illis' hoc sensu: ‚si hoc fuit illis initium nominis et dignitatis, cur non aeque nobis (sc. esse) existimetur?' quasi vero tu sis ab illis, Sallusti, ortus] Patre plebejo ortum fuisse Sallustium, eo colligitur, quod postea tribunus plebis factus est (Ascon. p. 44. K. et Sch.).

2. 5. certe venerint in oblivionem] proponit van der Hoeven ‚per te', quod probo. Abundat enuntiatum contrariis: ego — tu; majoribus meis — tuis etc. Verisimile igitur est, opposuise nostrum: a me accipiant initium memoriae suae — per te venerint in oblivionem.

2. 6. sed fuerim] ‚sed si fuerim' libri; conjunctione ‚si' cum Cortio extrusa, elegantius infra ‚at' respondet.

3. 7. an turpius est, scribentem mentiri quam illum palam hoc ordine dicentem? expectaveris ‚illum scribentem', secundo loco ‚illum' positum est, ut universalis sit oratio, non ad solum Sallustium pertinens, quod Ciceroni quoque usitatum esse, docet Cortius. palam cum ablativo struere pro ‚coram' poetarum est et posterioris temporis v. Neue Formenlehre p. 698. in aetatem increpuisti] intellege ‚in aetatem meam florentem'; cfr. inv. in Cic. 1. 2. ‚increpare aliquem' Cicero, ‚in aliquem' istis temporibus, quibus hae invectivae scriptae videntur esse, usitatum cfr. ep. ad Caes. senem I, 4, 1: illa, quae in Cn. Pompejum increpabantur.

3. 8. cujus semper nocens eguisti patrocinio. ‚nocens' ex glossa natum esse, cum Cortio crediderim.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

3. 9. unus enim satis es materiae habens . . . varia collocatione verbi ‚es‘ (es satis H^2 A, satis es T B H^1, $\frac{es}{satis}$ H) colligere licet, ‚es‘ additamentum esse; pro ‚habens‘ restituendum est ‚habes‘. Vogelius conjecit ‚unus satis habes materiae‘ sed ‚habes‘ h. l. idem est ac ‚praebes‘ cfr. Suet. Galba 9: ne quid materiae Neroni praeberet.

multum vero te opinio fallit . . ‚ut opinor‘ A, quod Jordano arridet; cfr. autem 1, 3: longe vero fallitur opinione. habere dignus sum . . Cicero non struxisset; haec quoque conjunctio poetarum et posterioris aetatis est.

testamentis — locupletior, nomina amicorum, a quibus Ciceroni hereditates venerunt, adnotavit Drumannus VI, 383.

3, 10 populusque Romanus frequens adventu meo gratulatus est: ablativus absolutus ut ep. ad fam. V, 17, 2 recenti adventu meo.

4, 11: . . . semper justas omnium amicitias existimavi. ‚justas justorum omnium‘ Eussner, quod postea ‚quantum quisque rei publicae studuit, tantum mihi fuit . . amicus‘: sed ad priora spectant: ‚universi vos‘ me reduxistis, neque immerito omnes mihi favent; semper enim saluti reipublicae studui.

5, 13 patremque tuum: De patre Sallustii in vita, qua usus est, nihil videtur rhetor invenisse, nisi, quod supra commemoravit, ignobili loco ortum esse Sallustium. Nugas affert, ut inscientiam occultet. Et probra, quae sequuntur, in priore invectiva eisdem fere verbis Ciceroni objiciuntur, quare monemur, ne nimiam fidem scriptori tribuamus.

aetas . . . exoleverat cfr. Cat. 24, 3 ubi aetas quaestui nondum fecerat . . .

5, 14 domum paternam vivo patre venalem habuit [vendidit] glossam manifestam seclusit Jordanus. De re ipsa, cujus rhetor semel atque iterum mentionem facit, etsi ab aliis non traditur, non dubitaverim.

abiit in sodalicium sacrilegi Nigidiani. Dubium esse potest, utrum primus casus sit ‚sacrilegus Nigidianus‘ vel ‚sacrilegium Nigidianum‘: Quis ille sacrilegus Nigidius vel Nigidianus fuerit, adhuc nemo enucleavit. Jordanus rem ita absolvit, ut dicat rhetorem finxisse sacrilegium P. Nigidii Figuli, viri integerrimi et Ciceronis amicissimi. Sed vix quemquam inveniri puto, qui hoc probet. Verbo, quod sequitur, ‚attractus‘ adductus sum, ut ‚manibus‘ insererem. Sic emendavi: pro ‚abiit in sodalicium sacrilegi Nigidiani bis judicis ad subsellia attractus‘: abiit in sodalicium sacrilegi. Nigidi manibus judicis ad subsellia attractus etc. ‚sacrilegi‘ idem esset ac ‚sacrilegii‘, Nigidius non reus sed accusator. — Sed sola conjectura hunc locum nemo sanabit, cum de re ipsa nihil constet.

5, 15. primum honorem in quaestura adeptus secutus est hunc locum et hunc ordinem despectu. Locus haud minus obscurus. Omnes libri exhibent ‚despectus‘; ‚secutus est‘ desunt in H H^2. Aldina ‚despectum‘, Cortius delevit ‚secutus est‘ et conjecit ‚despexit‘, Jordanus sic, ut supra scripsi (= er verfolgte diesen Stand mit Verachtung). Sed opponuntur ‚primum honorem adeptus est, — secutus est despectus‘ (es folgte die Verachtung.). ‚hunc locum et hunc ordinem‘ non cum ‚despectus‘ conjunxit, sed cum ‚secutus est‘, more Sallustio non insolito cfr. or. Phil. § 9: ‚malos praemia sequuntur.‘ Quare ita emendaverim: ‚Primum honorem in quaestura adeptus est, secutus est hunc locum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et hunc ordinem despectus. ne facinora ejus clam vos essent] structura poetarum in primis comicorum v. Neue Formenlehre p. 698. adulterium. gravissimus hujus flagitii testis est M. Terentius Varro. Aulus Gellius N. A XVII, 18 memoriae tradit: ‚M. Varro in litteris atque vita fide homo multa et gravis in libro, quem scripsit Pius aut de pace, C. Sallustium scriptorem . . in adulterio deprehensum ab Annio Milone loris bene caesum dicit et, cum dedisset pecuniam, dimissum‘. Disserit de hoc Varronis libro Jordanus (p. 324) et satis firmis argumentis docet, non multo ante bella civilia eum esse conscriptum et Qu. Caecilio Metello Pio missum. — Idem quod Varro tradidit Asconius teste Acrone ad Horat. Sat. I, 2, 41. ‚Ille flagellis caesus‘] . . . Sallustius enim Crispus in Faustae filiae Sullae adulterio deprehensus ab Annio Milone flagellis caesus esse dicitur: quem Asconius in vita ejus significat: Quocum Servius consentit ad Aen. VI, 612. erubuit ora vestra; structura quamvis rara, a Ciceroniano genere dicendi haud prorsus aliena. cfr. nat. deorum I § 111 (quas quidem non erubescens) et in Vatin. § 39 (te) affines erubescunt.

6. 16. quod si tibi per me nihil respondere voluissem; ‚pro me‘, quod H[1] exhibet, legendum est; simillimum enim locum invenies in eadem invectiva 1, 2: ego dabo operam, ut . . pro me minimo cum fastidio respondeam.

censorium eloquium. Ferri potest ‚eloquium‘, quod Diomedes (art. gramm. l II. ed. Keil p. 420) sic interpretatur: ‚eloquium est humanae pronuntiationis expressa significatio‘. Significantius esset, quod primi editores receperunt, ‚elogium‘ pro brevi adnotatione delictorum. Ab Appio Claudio et L. Pisone censoribus a 704 cum alios tum Sallustium senatu motos esse, tradit Dio (XL c 63), quem ex nostra invectiva non hausisse, supra demonstravi. Addit Pisonem ipsum neminem notasse, non repugnasse tamen collegae. Quare noster scripsisse videtur: ‚quisque eorum‘, ne quis crederet, invito Pisone Sallustium senatu motum esse. in ea te castra conjecisti nempe Caesaris. Idem tradit Dio (l l) omnes ab Appio senatu ejectos Caesari se adjunxisse.

6. 17 a victore ... in senatum per quaesturam reductus est. correxerunt hunc locum Mommsenus (Röm. Staatsrecht ed. alter. I, 504 adn. 2) et Jordanus. Errat Dio, qui Sallustium per praeturam in senatum reductum esse dicit (XLII, c. 52 *στρατηγὸς ἐπὶ τῷ τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν ἀπεδέδεικτο*) v. Mommsenum (l. l. et II, 414 adn. 3).

6. 18 unus ex illo grege cfr. Cic. Cat. II, § 23: in his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur.
ejus enim partis erat; raro Cicero numero singulari ‚pars‘ pro factione utitur, cfr. autem or. cum populo gratias egit § 13: cum viderem ex ea parte homines, cujus partis nos vel principes numerabamur etc. tanquam in unam voraginem] Charybdin intellegendam esse crediderim, cujus imaginem Cicero totiens adhibuit, ut non immerito Fufius Calenus apud Dionem Ciceroni respondeat (XLVI, 14): ...*ὥσπερ ἡ Χάρυβδις (ἀεὶ γάρ τι ἡμῖν ἐκ τῆς Σικελίας.. παραφέρει)*. Quare nostro loco (paulo inferius) non ‚sicut in fretis‘ sed ‚sicut in fretu‘ [nempe ‚Siculo‘] scribendum esse censeo, ut Cic. Sest. 18: ‚ne in Scyllaeo illo aeris alieni tanquam in fretu ad columnam adhaeresceret. coetus omnium vitiorum cfr. Cat. 14, 1: omnium

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

flagitiorum atque facinorum circum se tanquam stipatorum catervas habebat.

cilonum; cilo vel cillo ducitur a verbo obsoleto cillendi i. e. motitandi; idem est quod ‚cinaedus'.

7, 19 praetor est factus — provinciam vastavit] cum nostro consentit Dio XLIII, c. 9: *Καῖσαρ.. τοὺς Νομάδας.. τῷ Σαλλουστίῳ ἄρχειν ἐπέτρεψεν.* [collato hoc loco cum Sallustiano Jug. 18, 12: ‚Africae pars inferior pleraque ab Numidis possessa est'. Jordanus Corradum (Quaest. p. 123) secutus paulo inferius ‚Africam inferiorem' restituit.] *..ἐδωροδόκησε πολλὰ καὶ ἥρπασεν.* unde tantum hic exhausit quantum potuit aut fide nominum traici aut in naves contrudi] Sententiam loci eo redire statuit Cortius, ut Sallustium cogitemus, non contentum reliquis rapinis avidissime factis etiam fide nominum interposita pecuniam ab aliis sumere et sibi tradere homines coegisse. Sed etiam hanc pecuniam Sallustius in naves contrudere potuisset. E diverso ponuntur ‚fide nominum traici' et ‚in naves contrudi'. His omnia significantur, quae ipse Sallustius secum abstulit, illis pecuniae aliquando solvendae. Dicitur Sallustius non contentus pecunia numerata, quam provincialibus extorsit, eos coegisse, syngraphas secum facere. Nomina eorum, ut mos erat, in tabulas rationum relata sunt, quasi pecuniam mutuam a Sallustio accepissent. Hanc pecuniam ‚trajecticiam' vocat noster; docent autem legum periti, pecuniam trajecticiam mutuam fuisse trans mare vectam maximasque usuras recepisse.

ne causam diceret, sestertio duodeciens cum Caesare paciscitur cfr. Dionem (l. l.) *ἥρπασεν, ὥστε καὶ κατηγορηθῆναι... τὰ μάλιστα ἀφείθη ὑπὸ τοῦ Καίσαρος.*

quod si quippiam eorum falum est, his palam refelle, unde ... repente tamquam somnio beatus etc. non bene conjunguntur. In codice H^1 prima manu scriptum est: ‚referte' et H litteras l l in rasura habet. Quare Vogelius collato simili loco prioris invectivae: ‚Quae si tibi falsa obicio, redde rationem, qua ex pecunia domum paraveris' (in Cic. 2, 4) conjecit ‚refer', quod probo.

ne paternam quidem domum redimere potueris] libri habent ‚relinire' excepto H^2, qui ‚relinere', editiones ‚redimere'. Ad vulgatam propius accedit Vogelii conjectura ‚retinere'. Atque Sallustius non ideo a Cicerone vexatur, quod paternam domum non redemerit, sed quod vendiderit, non retinuerit.

villam [Tiburti] C. Caesaris] rectius ‚Tiburtinam'. seclusit Jordanus, quod apud alios scriptores villae Caesaris Tiburtinae mentio non fit. Quare primum, lectionem depravatam et hortos Caesaris trans Tiberim sitos intellegendos esse conjeceram. (cfr. Cic. ad Att. XV, 15, 2). Sed Suetonius (Caes. c. 83) repugnat, qui hortos illos testamento Caesaris publicos factos esse tradit. — Neque vero est, cur dubitemus, quin Caesari villa Tiburtina fuerit, etsi, nisi a nostro, non commemoratur.

8. 21. idem putas esse bis senatorem et bis quaestorem fieri, quod bis consularem et bis triumphalem. Ciceronem Sallustium secum conferre manifestum est. Sed quid illud ‚bis consularis et bis triumphalis?' Cortius censet, Ciceronem bis consularem et bis triumphalem vocari, quod post reditum omnes suas dignitates receperit. Sed etiam in exilio erat consularis. Sic interpretor: Quod tu, Sallusti, bis in senatum lectus et bis quaestura functus es, gloriaris, quasi honores, quos ego semel, bis adeptus sis, consulatum et insignia triumphalia. is demum male dicit

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(sic recte in editione altera Jordani) qui non potest verum ab altero audire. Sententiam loci impeditam sic expedire studet Cortius, ut interpretetur, ei demum maledicere licere, cui non ab altero vera crimina objici possint. Sed dicit rhetor, ni fallor, neminem alteri maledicere nisi eum, qui ipse vera crimina ab altero objecta ferre nequeat.

ordinis turpitudo es omnis ordinis libri exceptis A, qui ‚ordinis', et H, qui ‚omnis' omisit. Ferri non potest vulgata, si interpretamur ‚omnium ordinum'. Solius enim ordinis senatorii turpitudo dici potest Sallustius. Ferri posset, si censeremus ‚omnis' h. l. idem valere ac ‚totius'. Sed hac interpretatione vis sententiae imminueretur. Jordano igitur assentior. Verbis antecedentibus ‚omnium mensarum . . . omnium cubiculorum' adductus est nescio quis, ut ‚omnis' supra ‚ordinem' scriberet.

8. 22. petulantissima consectari lingua] sic TB. Malim cum libris H^1 A (lectionem libri H Jordanus non adnotavit) restituere ‚petulantissime consectari' = Cic. Sest. 110: petulantissime insectari.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(sic recte in editione alt[illegible] erum ab altero audire. Sententiam loci impeditam [illegible] terpretetur, ei demum maledicere licere, cui non ab [illegible] Sed dicit rhetor, ni fallor, neminem alteri maledicere [illegible] altero objecta ferre nequeat.

o[illegible] ordinis libri exceptis A, qui ‚ordinis', et H, qui ‚omnis' [illegible] a, si interpretamur ‚omnium ordinum'. Solius enim ord[illegible] Sallustius. Ferri posset, si censeremus ‚omnis' h. l. id[illegible] interpretatione vis sententiae imminueretur. Jordano igi[illegible] ous ‚omnium mensarum . . . omnium cubiculorum' addu[illegible] pra ‚ordinem' scriberet.

8. 22. petulanti[illegible] TB. Malim cum libris H¹ A (lectionem libri H Jordanus [illegible] me consectari' = Cic. Sest. 110: petulantissime insectari.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf